



cinianos inficias imus, opposita esse. Notum est enim, opposita in tali stricto atque Aristotelico vsu in *contradictorie opposita*, *priuatiue opposita*, *contraria*, et *relatiue opposita* diuidi, et semper idem, quod repugnantia, significare. Quae atque talia repugnantia, Deum et hominem esse, petita quidem diu a Socinianis fuere: sed, caue, illa ab ipsis, credas, probata fatis, siue vmquam a nobis concessa fuisse. Si itaque sibi constare velint Sociniani: disparata debent diuersorum generi subiicere. Quis vero est, qui ipsis tunc maiorem propositionem daret? Tanta est certe multitudo euentuum, ex quibus quilibet, diuersa de se inuicem praedicari, potest videre, vt dies non sufficiat, illos et omnes commemorare. Videsne igitur, quae dubia sint, ea pro veris atque concessis sumi in prima parte illius argumenti, quo contra nos Sociniani nitebantur?

§. VII.

Quaerenda itaque nunc argumenta sunt, quibus pars altera illius argumenti refellatur. Festiue et breuiter hic contra nos concludunt. Adsumunt: *Duae substantiae proprietatibus aduersae nequeunt de se inuicem praedicari.* (§. V.) At id quoque significatum potest duplicem admittere. Nam *primum* ita duae substantiae proprietatibus aduersae esse possunt, vt repugnantes inter se, siue vere oppositae proprietates dici illarum mereantur. (§. VI.) Et tunc Sociniani iterum pro vero controuersum sumunt; si homi-
nis